

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1565

## P O L E M I C I .

1566

*Magistri narcissi Phister ordinis fratrum predicatorum Regentis in colonia. Anno domini 1408. Ante Aduentum Domini. Est vero: Vtrum Doctor catholicus — doctrinam debeat pretermittere per quam subditus sibi grex est scandalizatus ex infirmitate. Deciditur pro dilatione ejusmodi doctrinae. De Narciso nihil in Bibliotheca Ord. Initium secundae: Sedens docebat de nauicula turbas. Luc. 5. Omnem mortalium progeniem ob prothoplaſti delictum &c. Praevie dicit Orator: resumo Thēma de Nauicula, quod in alma Vniuersitate Bonum mibi familiariter desponsatum pridem deduxi per collaciones varias. Et re ipsa Cod. CCCXVI. Collacio in idem Thēma relata fuit, cumque praesens manum Petri de Pulka arguat, etiam illa ad hunc pertinere videtur. Initium tertiae: Venite ascendamus ad montem domini &c. Ysa. 2. Mich. 4. Gregorius 23. Moral. exponens illud Job c. 33. scriptum, semel locutus est deus &c.*

XVIII. fol. 297. Sermo habitus fortasse in Synodo Constant. de Laudibus S. Bernardi in illud: *Omnis qui se exaltat humiliabitur &c. Luc. 18. Initium: Symon de cassia L. 6. post medium de vita christiana exponens predictum passum &c. Multa de Bernardi laboribus pro unione Ecclesiae, et sub finem: En igitur glorioſus doctor hoc pernicioſum ſcisma laboribus ſedauit. Rogemus dominum ut suis meritis hoc praesens tollat et unitatem restituat*

*ecclesiſ sacroſancte ſuis precibus &c.*

XIX. fol. 304. *Vtrum in Monarchia mundi principalior sit potestas Petri quam erat Constantini. Affecta tantum disquisitio, multumque interpolata.*

XX. fol. 312. Sermones facri III. Primus in illud: *Hi ſunt viri misericordie. Eccl. 44. de Petro et Paulo Apostolis, referendus Cod. DCCCCLXIX. cum Autore Petro de Pulka, cuius hic αὐτογεαφον. Alter de Paſſione Domini in illud: Trifis eſt anima mea usque ad mortem. Math. 26. hoc initio: Si psallente propheta audiam, quod peccatori dixit deus, quare tu &c. Si rurſum conſiderem &c. Tertius de S. Colomanno Mart. idem, qui jam N. 7. indicatus fuit. Ejus initium: Faciem ſuam firmauit ut iret ierusalem. Luc. 9. Tocius ſanctitatis regula et exemplar B. Augustinus &c.*

## CCCCXVII.

Codex chartaceus lat. germ. 646 Sec. XV. Folior. 196. 4. non ab una manu profectus hanc paffert επιγεαφων: *Joannes Schröter ſibi grataeque posteritati. Medici hujus patria Vinmariensis, eque Viennensi cathedra ad primum Jenensis Academiae Rectoratum evocati Vitam Oratione illustravit Zach. Brendelius, cui addi poſſunt, quae de eo in Scriptt. Univerſit. Vien. P. III. Sec. 3. p. 11. et in vernacula mea Typogr. Vien. Historia habentur.*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1567

## C O D I C E S

1568

*Codici porro sequentia insunt: I. Incipit tractatus narrans articulos huiusmodi cum argumentis certe sacre scripture contra prefatos articulos huiusmodi legitime pugnantes. Initium: Eloquenti viro domino a. verbi dei seminatori in braga &c. Vide, quae de hac Epistola dixi ad Codd. CCCCXV. et CCCCXXII. Notis loci et temporis hic caret.*

*II. fol. 24. absque inscriptione Chronicon ab orbe condito usque ad an. MCCCXXVII. quo Res Austriae et Provinciarum adsitarum enarrantur, hoc initio: Non arbitror infructuosum seriem temporum buic operi inserere quo lector cuncta transacta mundi tempora queat uno intuitu cognoscere. Satbael primus archangelus &c. Editum est ab Hier. Petzio Scriptt. Rer. Austr. T. I. p. 317. Codicis clausula est: Et sic est finis Anno Domini M°. (supple CCCC.) LXIII. Sabbato ante Tymothei et Symporiani martirum. Finitum et scriptum per me Ludwicum Zwischen Pfingsten vnd der Oberen Müll Im Edlech. Fortassis Erlach super. Austriae.*

*III. fol. 147. p. 2. fictitia Epistola germanica Mahometis Turcarum Imp. ad Maximilianum I. Imp. ineptissimis infarcta titulis, qua invasionem minatur, ita concludens: vnd gedenck dich baym zwischen mit unsrer grosser macht vnd dir nit also gunstig seyn, Als unsrer vatter gewesen ist. Darnach*

*hab dich zu richten. Geben nach unsrer gepurd im XLI Jar. Nugae nugarum, quae quo tempore Codici illitae fuerint, patet ex his adjectis: Vnd in der Zeit hat sich Angehebt die Luterisch seß Martiny Luthery.*

*IV. fol. 154. praemissa Arbores genealogica breve Chronicon Ducum Austriae a Rudolpho I. Imp. usque ad Maximilianum I. quod hic repraesentare visum est.*

*A. Rudolfus rex romanorum 18 anno sui regiminis fundauit in Tulln claustrum dominarum, obiit anno domini 1281 sepultus in Swecia (Suevia) in ciuitate Speyr in diuisione Apostolorum.*

*B. Albertus rex romanorum fundauit monasterium in Kingiswild (Königsfeld) in Swecia, (Suevia) obiit interemptus a duce Johanne sui fratrī filio, sepultus ibidem Anno Domini 1308.*

*C. Hermannus dux post suam nativitatem statim obiit.*

*D. Fridericus rex romanorum XV anno sui regiminis fundauit Maurbach, sepultus est ibidem anno domini 1330 in octaua Epiphanie.*

*E. Rudolfus dux Austriae post nativitatem vir factus, genuit ducem Johannem interfectorē, de quo sequitur.*

*F. Dux Johannes interemit regem Albertum fratrī sui filium, (patris sui fratrem) cui post nunquam prospere successit et stipes et*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1569

## POLEMICI

1570

- et Linea consanguinitatis sue deficit, ut in figura uidetur. (Quae abest)*
- G. Dux Hainricus, filius Alberti regis romanorum, est interemptus in Kinswilde (Königsfeld) anno domini 1326.*
- H. Rudolfus rex romanorum, (Bohemorum) filius Alberti regis romanorum, fundauit Wiennę claustrum dominarum ad sanctam Claram, obiit Prage et ibidem sepultus anno domini 1307 in monte sancti Wenzeslai.*
- I. Dux Albertus, filius Alberti regis romanorum, sua potentia aquifuit Carinthiam et alias multas comeacias (Comitatus) in Elfacia, fundauit Gämming chartuisenium ordinis monasterium ibique sepultus est anno domini 1358 in die sancte Clare.*
- K. Dux Leopoldus, filius Alberti regis romanorum, probus fundauit monasterium in Liligenfeld in Austria, ordinis sancti Pernhardi, obiit in Swedia in Kingiswilde ibidem est sepultus Anno domini 1327.*
- L. Dux Otto, filius Alberti regis romanorum, fundauit monasterium auff dem Neuperg, sepultus ibidem et mortuus Anno domini 1358.*
- M. Rudolfus archidux quartus, primogenitus filius ducis Alberti, fundauit Wiennę universitatem et preposituram, aquifuit Comeciam tyrol, mortuus et sepultus Wiennę Anno domini 1365.*
- N. Dux Albertus, filius ducis Alberti, mortuus in Laxnburk, sepultus Wyenne Anno domini 1395.*
- O. Dux Leopoldus, filius Alberti ducis, possedit Styriam, Karinthiam et Chraen, nam ipse cum suo fratre Alberto diuifit prouincias hereditarias, propterea possedit eas, ideo ipso mortuo sepultus est in Gräcz Anno domini 1386.*
- P. Dux Fridericus, filius Alberti, mortuus est et sepultus in Wyenn Anno domini 1363.*
- Q. Dux Albertus fundauit capellam in Laxenpurk cum castro obiit Anno domini 1404.*
- R. Dux Wilhelmus obiit feria secunda post festum sancte Margarethe virginis Anno domini 1406.*
- S. Ernestus Archidux obiit Sabbatho ante viti Anno domini 1424.*
- T. Dux Leopoldus in die sancti Erasmi martyris Anno domini 1411.*
- V. Dux Fridericus obiit Anno domini . . . (1439) sepultus in yspruk.*
- X. Albertus rex romanorum, rex Vngarie Bohemie &c. dux Austria &c. obiit in Vngaria in Langendorff Anno domini 1439 in vigilia Symonis et Jude sepultus in Weyffenburk.*
- Y. Fridericus Imperator rex Vngarie dux austrie fundauit monasterium sancte trinitatis ordinis Bernhardi et preposituram in castro noue ciuitatis. Hic obfessus est*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1571

## C O D I C E S

1572

*est Wyenne a ciuibis et fratre suo duce Alberto anno domini 1450.*

*Z. Albertus archidux fratri suo imperatori Friderico vendidit partem suam hereditariam, quam babuit in Stiria, Karinthia et Kraen; hic interemit quosdam de ciuibis Wyennensibus Holczer magistrum ciuium, et plures alios de consilio duobus militibus capita fecit amputari Anno domini 146 (3).*

*Dux Sigismundus An der ethsch fuit excommunicatus a domino papa pyo secundo propter violentiam commissam in suum episcopum et episcopatum.*

*Ladislaus rex Ungarie &c. rex Bohemie &c. dux Austrie &c. obiit prage in die clementis Anno domini 1457. Sepultus in monte sancti Wenzeslai.*

*Dux Christofforus natus et postea statim obiit Anno domini 1456. Sepultus in noua ciuitate in monasterio sancte trinitatis, quod fundauit pater suus.*

*Dux Maximilianus natus in die cene anno domini 1459.*

V. fol. 157. Visio secundum quietem oblata M. Henrico de Hassia germanice. Absque inscriptione, sed in calce: *Dy weyffagung dy maister Haynr. von Hessen ist fur chamen in seynen schlaff. Initium: In dem nam gottes ihesu christi an dem auffertag nach der metten da ich lag in meinen gepet vnd dy wart (worte) dy David an dem psalter gemacht*

*hat. do gedacht ich an dy chlagleich chlag vnd rach dy geschehen ist enhalb mer zu ierusalem &c. Imitatio Danielis. Comparet ei Vir Episcopi habitu, crucem manu tenens, multa praedicens de mutuis Regnorum devastationibus, de punienda Praelatorum ambitione et avaritia, maxime Cardinalium, quos deinceps solum ait vocandos Presbyteros et Diaconos Romanos, nullum Praelatum a temporibus Nicolai III. (1277 — 80.) fuisse absque Simonia; tandem vero a Germanis et Francis eorumque Imperatore restituendam dignitati suae Romanam Ecclesiam, cumque Henricus quaereret tempus restitutionis hujus, incepturnam illam ait anno, cuius numerum recentior calamus corrupit ita, ut nunc legas M° CCCCCXXX primo, quorum elementorum CXXX adventitia sunt, deletis quibusdam post M. Nullus ambigo Vaticinium istud suppositum fuisse Henrico nostro, utpote, qui ipse Tractatum contra Joachimum, Thelephorum et similes Videntes scripserit, quem habes Bern. Petzii Thes. Anecd. T. I. P. 2. col. 505. Posseffor Schröterus sua manu Exemplo Vaticinii nostri adscripsit: *An hac ita sint futura omnia, ex his (Sec. XVI.) motibus facile a quo quis colligi potest.**

VI. fol. 158. Acta et Compactata inter Ordines Regni Bohemiae et Oratores Concilii Basil. cum Pragae 1433. et 35. tum Iglesia 1436. Initium: *In nomine*

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1573

## P O L E M I C I .

1574

*nomine domini Amen. Nos Alffo de risenburg alias de wzzestiom Gubernator regni Bohemie Barones Nobiles milites Clientes Praha ciuitas &c. Extant apud Leibnit. in Mantissa Cod. Dipl. P. II. in Cochlaei Hist. Hussit. ad annos memoratos et Cod. nostro DCCCCLXVIII.*

VII. fol. 168. Epistola transmissa Summo pontifici Eugenio ex parte Morbosani Anno domini 1444. dum prostratus esset rex polonie (Uladislaus) cum exercitu et Juliano (Caesarino Card.) legato. Videlicet ad Varnam. Initium: *Morbosanus beberi yesi cum fratribus suis &c. monstris nominum. De futilibus ejusmodi figmentis diximus ad Codd. varios.*

VIII. fol. 169. p. 2. Narratio sine Diarium eorum, quae gesta sunt Pragae a Johanne de Carvajal S. Angeli Card. Legato Nicolai V. anno 1448. maxime in caussa Job. Rokyczanae Archiepiscopatum ambientis a die adventus, qui erat profestus Ascensionis D. usque ad feriam 5. subsequentem. Quaedam de hac legatione memorantur in vita Carvajalii apud Ciaconium Vitt. Pontiff. T. II. col. 926. plura in Cochlaei Hist. Hussit. L. X. p. 349. Non erit tamen superfluum, Exemplum nostrum hic integrum adtexere, quod sic habet:

*Primo dominus Legatus venit Pragam in vigilia ascensionis domini hora XVIII. vel quasi et ibi honorifice suscepitus Anno domini Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

1448. Sabbato magistri venerunt ad eum et ibi in sua collatione proposuerunt primo, qualiter letabantur de exaltatione sanctissimi patris Nicolai pape quinti, per quem etiam sperant, quod dominus Deus est daturus dona celestia huic regno, que dona, ut speramus, reuerentia patre quinti nobis in consolationem attulit. Item de Bulla regratiabantur. Ad primum respondit, quod utique dona celestia eis attulit, scilicet pacem que de sursum est Jerusalem et cum illa pace singula bona cetera; quam si suscipere velint, dona celestia a domino Deo et sanctissimo papa nostro allata sunt. Ad secundum respondit, quod considerat, pietatem et benignitatem sanctissimi patris contra filios: videte ergo ne post plangendo dicat pater sanctissimus, filios enutriui et ecce ipsi spreuerunt me. Tunc magister Rokocin (Rokyczana) dixit: A. a. a. domine nescio loqui, p. e. s. respondit: si pueri estis et loqui nescitis pono verba in ore puerorum, tunc enim pueri bene loquentur, quod sanctissimus pater et sedes apostolica loquitur et sapit. Dominica post equitauit ad castrum sancti Wentzeslai et ibi missam audiuit de sancto spiritu, postquam introductus fuisset ad ecclesiam monialium sancti Georgii, tunc redeundo inquisiuit, an essent etiam hic communicantes sub utraque specie; et dictum est, quod sic, respondit, si sciuissemus nunquam hic intrassemus, nec aliquam gratiam eisdem contulissemus. Feria secunda intrauerunt pretorium domini ad deliveran-

A a

**Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764**

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1575

## C O D I C E S

1576

liberandum, que vellent proponere domino Legato et proposuerunt 4. primo de archiepiscopo, ut faciat Rokoczanum, quia vir valens et dignus toti regno necessarius et utilis. 2° quod communio confirmetur. 3° si rex romanorum nollet assignare et dare regem Ladislauum, tunc vellent procedere ad electionem alterius regis et jam nollent esse obnoxii nec regi, nec pape. 4° ut confirmet compactata. Ad primum feria 5<sup>ta</sup> respondit, regratiando eis intimè quod ita diligenter instant pro archiepiscopo et pro bono communi. Speramus autem quod ex illa feruentia, quam habetis pro habendo archiepiscopo, feruentiam beatissimae pro restituendis bonis archiepiscopalibus et cum singula bona restituta fuerint, quod etiam de illo bono zelo vestro et propriis apponentes, et cum sic archiepiscopus prouisus erit et tunc sancta sedes apostolica parata erit vobis prouidere de viro secundum jura canonica et illius responsum voluit habere die crastina. De rege dixit, quod non esset honor eorum si regem alterum eligerent, nec per hoc inter se disponent pacem, sed magis perpetuam intranquilitatem. De communione autem et de compactatis pro tunc nil respondit, dixit autem, quod sanctissimus pater nihil de compactatis sciret, nec nobis aliquid de eis constat, supplicamus igitur, quod detis nobis eam ad conspiciendum: tunc dederunt ei literam originalem. Item feria 6<sup>ta</sup> domini angariauerunt ex inductione Pzibroni (Prizbrami) Procopij, magistri Petri in

Ladenz et magistri Sigismundi magistros et studentes, ut singuli eant et promoueant Rokoconium secundum quod scripperunt ad papam, ut scriptum jam comprobent, eum laudent et exaltent, quia vir ydoneus est et dignus et factum est, quia quasi omnes venerunt magistri, paucis demptis, et cum eis domini et civitatenses. Quibus respondit, ut ante, postquam bona restituta fuerint. Ad hoc sibi domini responderunt, quod multa bona Conradus episcopus obligavit, quod etiam aliqui propriam hereditatem vendiderunt et hec emerunt, non videretur eis consonum, si sic simpliciter et de plano deberent restituere cum dampnis suis tunc de singulis. Item in die dominico spiritus sancti communicabatur (Legatus) sub una specie in ecclesia sancti Jacobi, videntibus magistro ciuium et consulibus utriusque ciuitatis et post ribaldi et aliqui barones insiniebant dicentes, dominum Legatum semper esse fatuum, eo quod posuit se ad partem extremam, cum tamen medium esse deberet nec ad istam partem, nec ad aliam se inclinare. Dicebant etiam ex quo, quod consuetudo communicandi in regno Bohemie est sub duplice specie, quod debuit se potius conformare eidem consuetudini et recipere etiam sub secunda: dicebant autem, quod per illam communionem nil boni disponetur in illo regno, quia fecit hoc in confusionem totius regni; dicebant etiam aliqui ad confirmationem sui erroris, quod sub 2<sup>da</sup> specie comuni-

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1577

## P O L E M I C I .

municabatur ideo, quia ablutionem  
recepit de calice. Item feria 2<sup>da</sup>  
et aliis diebus multa consilia laten-  
tia et nunc isti, nunc illi ad domi-  
num Legatum mittebantur: bij  
istud, bij illud oppositum dicentes,  
eundem explorare volentes, sed in  
singulis fuit benecautus. Item ma-  
gister reuerendus puta Vernandus  
debuit respondere ad singulas fa-  
cultates, tanquam in uniuersitate;  
cum autem domini hoc rescruerunt,  
et impedimenta fecerunt taliter,  
quod utique non respondit in notam  
et confusionem eorum maximam.  
Item feria 6<sup>ta</sup> post festum spiritus  
sancti optauerunt, quod det eis fi-  
nale responsum de communione du-  
plicis speciei et de compactatis; re-  
spondit, quod non uenit ad deci-  
dendam eandem materiam et deter-  
minandam, sed pro pace facienda.  
Ibidem Magister Petrus de Lade-  
nowiz respondit et dixit: domine  
Legate, si non confirmabis nobis  
communionem duplicitis speciei et Ro-  
kocanum archiepiscopum non confir-  
mabis, antequam uenietis Ro-  
man, audietis mirabilia in isto reg-  
no. cum autem vehementer et cum  
stupore admiraretur dominus Lega-  
tus et cogitaret quid diceret, re-  
spondit: ego dico ista et scitote,  
quod ita fiet, non quod ego ista  
facere velim, sed ita fiet. Item  
Rokocan multociens fuit cum domi-  
no Legato solum. Item dominica  
post XIX. horam venerunt ceteri  
domini cum civitatibus importu-  
ne inquirentes a domino Legato,  
quod diceret eis, an communio du-  
plicitis speciei sit hereticalis vel non,

1578

et cum nequaquam eis directe re-  
spondere voluisse, altera vice eun-  
dem sermonem inquisierunt, et  
cum nec adhuc respondisset, 3<sup>ro</sup> in-  
quisierunt. Quibus respondit, quod  
in talibus dubiis securius et cautius  
est tenere illud, quod sancta ma-  
ter ecclesia tenet, quam se opere  
ab ea disiungere; cum autem du-  
bium habetis in isto, non est me-  
lius facere, nisi illud quod facit ec-  
clesia, nam ecclesie est super om-  
nia obediendum et standum eius doc-  
trine. Responderunt, quod Christo  
magis est obediendum, tunc inqui-  
siuit ex eis dicens: dicite mihi quid  
erat in calice Christi, cum Christus  
in cena confecit, an aqua erat,  
an vinum; videtur quod potius erat  
aqua, quia vinum prohibitum erat  
regibus et sacerdotibus leuitis. Si  
igitur Christus in aqua confecit  
vel ad minus dubium vobis erat et  
est, in quo confecit, cur in tali  
dubio potius in vino, quam in aqua  
conficitis, cum Christo secundum  
vos est obediendum; igitur more  
Christi in aqua conficiendum esset,  
responderunt, quod ab ecclesia doc-  
trinam receperunt et communione  
proximi, respondit, cur in isto  
etiam ab ecclesia proximi non reci-  
pit, tunc cum confusione recesser-  
unt, cum ira appellantes dominum  
Legatum fatuum, eo quod non po-  
neret se medium, sed extrellum  
partis aduersè, in nullo enim eis  
condescendere voluit. Item feria  
2<sup>da</sup> intrauerunt pretorium, tunc bij,  
qui a toto regno missi erant, dixe-  
runt: nunc jam legationem nostram  
vobis pandere intendimus, prius  
enim

**Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764**

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1579

## C O D I C E S

1580

enim non fecimus vobis reuelationem ideo, quia quidquid vobis dixissimus, non credidissetis nobis; expectauimus finem, ut soli consiperetis. Nos cum bene sciuiimus, quia iste Legatus nil boni faciet in regno isto, ymo in tota curia romana nullus est maior aduersarius, qui contrariatur sancte veritati, nisi iste: iam ipsi conspicitis et videtis, quia etiam nuper in scandalum totius regni communicabatur sub una specie, et ille aduersarius missus est buc non ideo, ut Rokozanum confirmaret, aut sanctam veritatem promoueret; sed ideo, ut nos exploraret, tanquam traditor, referendo secreta nostra apud se dem apostolicam et per totum mundum nos macularet. Nunc igitur reuelabimus vobis legationem, quam ibi fecimus. Primo, dum fuimus in via equitantes Romanam, dictum fuit nobis, quod impossibile est Rokozanum promovere in Episcopum; Item dictum erat nobis inique agunt domini vestri et contra eorum honorem, quod aliqui publice sigilla sua applicauerunt vestre legationi et occulte. Item domini scribunt suis propriis literis et sub eisdem sigillis, que vos habetis, deberent verreri et confundi, pro illo tres domini ibidem se excusauerunt, dominus de rosen, quod ipse non fecerit talia; responderunt sibi domini, nos scimus bene qui sunt tres, et si tu eses non haberemus verecundiam tibi dicere in faciem. Item dixerunt nobis, gratis statis circa illam communionem, tamen qui erit archiepiscopus dabit excommunicatio-

tionem super Bohemos et super illos, qui tenent bona spiritualia (ecclesiastica) et faciet interdictum sacerdotibus, ne celebrent diuina et tunc cito opportet vos conuerti et facere secundum alias nationes. Item dixerunt nobis; gratis laboratis pro archiepiscopo et gratis eligitis Rokozanum, cum ad vos non spectat electio, eo quod dudum super papam deuolutio facta est et sua omnia iura propter temporis diuturnitatem. Item dixerunt cuiusmodi est ista vestra electio, ubi electionem et literas a capitulo pragensi habetis? Item dictum est alicui alteri, quod suscipiet archiepiscopatum, qui bonus est et catholicus et non hereticus, quallem vos pape presentatis: videte, ne cum eo essetis eombusti et cremati iniucem. Item dictum est nobis, quod rex romanorum cum capitulo pragensi dederunt archiepiscopatum alteri, quem etiam Nicolaus papa ad eundem confirmauit. Item, dum uenimus ad curiam romanam, optauimus publicam audientiam coram tota Christianitate et non potuimus eam habere. Verum quidem missi fuimus ad papam et ad eius Cardinales et ibidem papa nobiscum pulchre loquebatur, sed versute non ex corde et iam hic singuli videtis ea in re esse et finaliter consideratis, qualiter stat hic Legatus in suis dictis et omnia nequiter facit. Item Henricus doctor Holtezensis de palacio papali dixit nobis, quod multa sunt erronea in isto regno, ideo opportet, quod esset episcopus aliquis sapiens ytalicus vel alterius alicuius

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1581

## P O L E M I C I

alicuius lingue homo quam Bohemus, qui hoc rectificaret; petite papam pro tali, quod det vobis unum electum tunc obtinebitis, quia hoc etiam dominus Eugenius papa voluit: tunc citius qui fuerit alienigena possit illum calicem de terra extirpare. Item idem doctor dixit nobis, quod papa est tante dignitatis et potestatis quod potest mutare evangelium. Item dixit, quod si papa mandaret, quod crederemus, quod Christus non fuerit incarnatus, quod facere debemus, et nos si facheremus in hoc non peccaremus, nec dampnaremur propter hoc sed solus papa dampnaretur. Item dixit, papa communicat sub una specie, cur vos vultis sub 2<sup>da</sup>. Item dixit gratis laboratis pro Rokozonio, qui non ordinabitur, nisi de calice recedat. Item si vultis eum babere Episcopum, oportet ut veniat ad papam, quod examinetur et in fide comprobetur: fuit enim in Basilea caput omnium hereticorum et ideo, si adhuc talis est, oportet, quod examinetur, uel se de talibus expurget criminibus. Item dixit, quod potius Eugenius dedisset sibi cerebrum de capite extrahere, uel potius papatu priuatus fuisset, antequam illam communionem admisisset, uel Rok. consecrasset. Hoc idem papa pretendit et firmiter velit in illo mori, quod iste papa non faciet vobis quod optatis. Item Almania tota vos pro hereticis habet et semper respicit, quod ista heresis in vobis emendetur. Item aliqui ante vos precesserunt et alios expectamus,

1582

qui dicunt, quod vos non estis missi a toto regno, nec illa litera vestra est a toto regno. Item papa dixit nobis, quod ipse solus dat Laycis sub duplice specie, quia est sibi constitutum et decet pro eo. Item dixit papa recognosco, quod in primitiva ecclesia dabatur sub duplice specie et qui non variauerunt, sunt greci, ideo ecclesia eis admisit, qui vero variauerunt hoc cum romana ecclesia propter periculum etc. et redeunt ad illam communionem, peccant mortaliter et errant, alias singuli, qui communicant sub una specie, essent in inferno; sed non potest errare ecclesia romana, sed illi errant, qui ab ea recedunt. Item si sacerdotes vestri dicerent, quod tantum est sub una specie, quantum sub duabus; tamen hoc sibi homines non ponderarent et sub una specie non communicarent, ideo rogo vos, dilectissimi, nunc adponite vos ad hoc et diligentiam facite, sicut diligitis salutem omnium vestrorum, quod regnum id uniatur cum ecclesia romana in ista communione; tunc pacem habebitis, alias nullo modo, dixit nobis papa tunc publice loquendo nobis, nos erroneos ad oculos appellabat. Ad hoc respondimus. Albertus et alii sancti doctores dicunt, quod plus capiunt sub duplice specie quam sub una; quia speciales gratie dantur sub una, que non sub 2<sup>da</sup> et sub 2<sup>da</sup> que non sub prima; respondit papa, hoc tempore eorum, sed postea ecclesia depositit. Item dimicimus pape; tamen grecos cum calice recipitis, cur non nos, et nos - A a 3 habemus

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1583

## C O D I C E S

1584

habemus compactum cum concilio Basiliensi, petimus propter Deum faciat nobis hoc idem, ut saltem conductatis possimus frui. Ad hoc papa nil respondit. Item diximus, qualiter credere debetis illis, qui post scribunt literas alias, quam per nos scripserant, nec est eis credendum; respondit papa, hoc faciunt ex sua fragilitate propter timorem, quia timent vos, faciunt enim sicut sanctus Petrus, qui propter timorem aliud loquebatur, aliud in corde habuit; sic et nos multociens idem facimus, aliud loquimur, aliud in corde habemus, sicut et ipsi fecerunt. Item de bedzicho multa loquebantur nobis rome, que omnia sunt in confusionem regni istius. Item Job. Cardinalis sancti Angelii, qui est hic Legatus, loquebatur nobis talia: primo relinquite calicem et sitis unanimis cum sancta matre ecclesia, tamen quousque non conformabitis vos, nunquam pacem habebitis, quousque etiam non relinquitis heresim illam pro quounque petieritis circa sedem apostolicam, nihil obtinebitis, sed quando obmittetis, tunc omnia obtinebitis et plura, quam petere scietis et dabuntur vobis. Item dixit, quando venero ad vos, ego bene ad istam fidem vos et taboritas reducam. Item dixit de Rokcano; loquuntur et scribunt nobis, quod multas heres tenet, unde probabo eum, cum ad vos venero. Item dixit, si papa diceret vobis, ut crederetis, quod Christus non est deus et homo, et papa si teneret et ecclesia romana, non pecaret talis propter hoc; sed

stat saluus, si ex obedientia hoc faceret. Item multi dolent, quod communio est vobis concessa secundum compactata; sed tamen hoc est ad tempus. Item dixit: solus volo stipendium ecclesie exponere, quod ex quatuor plagis venient super vos homines et extirpabunt a vobis istum articulum erroneum. Item dixit fabulam, quod eueniet vobis sicut euenit illi, qui voluit sapiens esse, cum omnes stulti iuissent super pluviam, et ille solus sapiens non iuit, tunc postquam a stultis deludebatur nimium, ne tales stulti eum deriderent, iuit etiam super pluviam inter eos; sic etiam vobis fiet, cum vos omnes deridebunt, tunc primo ad alios venietis, et aliis vos conformabis timentes confusionem. Item dixit: dicitis vos semper filios ecclesie et obedientie, et tamen in ista communione non vultis obedire pape, sed vestram uoluntatem habere vultis, qualis est hec obedientia vestra. Diximus, quod nos volumus Christo obedire et eius euangelio potius quam pape; pape autem potius adheremus, quam concilio quod nobis confirmaret in archiepiscopum Rokocanum, si autem noluerit, conuertemus nos ad Felicem et ad concilium; dixit nobis circa Felicem nihil accipietis, quia nil solus habet, papa etiam non multum curat de vestra adherentia, potius quam Rokozanum facere uoluerit, quid est faciendum? erit omnibus in excommunicationem et cum omnibus, qui sibi adherent: quis non intelligit id, quod nullus bonus est pro Roko-

**Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764**

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1585

## P O L E M I C I .

1586

**Rokozonio**, sed solummodo illi, qui sunt de eius secta, et qui bona sacerdotalia tenent, quia ipse nil dicit eis de illis bonis restituendis, tunc libere ea tenerent. Sic igitur videtis, qualiter iste Legatus nobiscum publice loquendo ad oculos nos hereticat; si vultis, volumus sibi dicere in faciem omnia mala, que nobis fecit nec maior aduersarius noster in curia est, tunc clamor factus fuit contra ipsum, alij dicebant mortificandus esset talis ribaldus, ipsum enim Joannem Hus sub treugis cremauerunt, dignum esset, ut nos huic similiter faceremus; mitigauit autem hec dominus de rosen dicens, quod ipse vitam propriam posuit pro securitate Legati et omnes suos; filios meos hic propter ipsum adduxi, cogitate super honore vestro, ne mala sibi faciatis, esset enim perpetua confusio regni. Item pronunciauerunt suam protestationem, quam fecerunt coram papa, Deum invocantes, quod in eis non deficit, ut testis eorum sit in die iudicii, volumus enim propter similia bona laborare, sed non debetis igitur nobis pro malo babere, si propter defensionem Archiepiscopi et sacerdotum attemptabimus aliqua, que sunt insolita in romana ecclesia, que tamen prius etiam fuerunt acta, puto, quod hoc volunt intelligere, quod sibi per impositionem manuum sacerdotes ordinabunt. Feria quinta, quando dominus Legatus equitauit (per) vias, Ribaldi male loquebantur de eo, alii dicebant dignus esset, quod cum tribulis eum conducerent. Alii eum

hereticum appellauerunt. Et dum quidam armiger domini de Rosen post equitaret cum suis, dum audiueret, quod isti hereticant dominum Legatum, dicebat eis: vos soli estis pessimi heretici, et ipsi colligentes statim lapides proiecerunt in armigerum et suos: armiger autem extracto gladio voluit unum cum suo equo conculcare, non tamen fecit. Et post carnifices de macellis cum securibus cucurrebant post armatos, ipsi autem confugerunt ad alios ad multitudinem, postea currebant bene X. equestres post legatum postulantes compactata, clamantes, ut excitetur spiritus contra Legatum, inquietes, quomodo optimum clenodium et thesaurum portat secum de regno, videlicet literam compactatorum. Dum autem peruenissent ad Legatum, noluit reddere et excusationes multas fecit, quoniam inter currum posuisset. Tandem dixit, ex quo a toto regno litera data est mihi, postquam totum regnum optabit, reddam; ultimate tamen dixit, quod vult eis in beneficio dare, et factum est ita.

Magister Rokozan non potest promoueri in archiepiscopum propter legitimas causas, si etiam fuisset rite electus. Primo, quia non existens confirmatus et coronatus intronisit se de ministracione episcopi, iudicando causas matrimoniales, synodos celebrando, decanos constitudo, plebanos ad ecclesias locando sine omni auctoritate, quod est contra canones et compactata. Item ipse et sibi adherentes non seruant com-

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1587

## C O D I C E S

1588

compactata communicantes paruulos et vulgariter cantantes et diuina tractantes. Item ritus ecclesie Katholice non seruat, osculum pacis, consecrationes aque, candelarum, cinerum, palmarum, mulieres post partum non introducit. Item defensor est librorum Wicleff heresiarche. Item tenet remanentiam panis post consecrationem eukaristie, quod probatur ei primo, quia frequenter interrogatus a Legatis sacri concilii per magistros et plures, nunquam voluit fateri fidem Katholicae. 2<sup>o</sup> quia dicit, se esse filium Jacobelli, qui tenet remanentiam utriusque, qui hoc tenendum discipulis suis pro testamento reliquit. 3<sup>o</sup> probatur, quia non existens officialis archiepiscopi dedit Kathedram heretico anglico (Payne) et eum protexit contra magistrum Przibram. Item promisit obedientiam concilio et pontifici romano et prelatis et non tenet; sed est clericus acephalus, non habens caput. Item dubitatur, si est presbyter, primo sic: conradus archiepiscopus iam fuit excommunicatus. 2<sup>o</sup> coactus ordines celebrauit. 3<sup>o</sup>, quia fuit cecus, alii legerunt et unixerunt manu sua. 4<sup>o</sup> missam per se non celebrauit, sed alii, quod est contra sacros ordines. Item est traditor Sigismundi principis Polonie, quem pragenses cum magna sollemnitate suscepserunt pro gubernatore regni Bohemie, et ipse postmodum ordinavit, quod turpiter est ductus de Praga, tamquam latro et ultimate submersus est. Item scripsit se dominum archiepiscopum, ubi nulla

fuit electio, sed monstrosa, quia laici eum elegerunt, quod est contra canones. Item ecclesias non tantum fecit rumpere, sed etiam spoliare, sicut fecit in pede montis in ecclesia B. Marie virginis, ubi recepit monstrantiam argenteam et rupit et argentum vendidit. Item sacerdotes compellebat ad bellum ire cum corpore Christi, et qui nolebant, ipsos incarcerauit et hoc fecit sacerdotibus de sancto Michaelle, quos ad carceres posuit in domo circa mogram aquilam. Item exercuit officium secularis quolibet anno, locando nouos consules contra statuta patrum. Item reuelauit consulibus in pretorio confessionem, propterea confitentes puniebantur a Consulibus.

IX. fol. 173. Pentas Epistoliarum in negotio disputationis Job. Capistrani et Job. Rokyczanae, quarum I. Capistrani ad Georgium de Podiebrad Gubernatorem Regni Bohemiae data ex Bruna XX. die mensis septembris anno (MCCCC) LI<sup>o</sup>. qua petit, ut ejus opera negotium istud pacate transfigatur. Excitat eam Cochlaeus Hist. Hussit. L. X. p. 375. sed vix ultra dimidium progressitur. Codex integrum non sine lectionis varietate servat. II. Job. Rokyczanae ad Job. Capistrum data ex Liticz in die sancte ludmille patronae Bohemie Anno &c. LI<sup>o</sup>. Initium: Optans ante omnia tuam proximorumque tuorum salutem honorem atque bonam famam — Expectans expectavi responsum

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1589

## P O L E M I C I .

1590

*responsum tuum &c.* Querelae, quod *Capistranus* Laicis subtrahere velit calicem, Evangelio et Concordatis repugnantibus. Atque haec videtur inedita. III. *Capistrani* Responsum ad praecedentem datum eod. Loco et Die, uti I. Incipit: *Scribis te optare — meam proximorumque salutem &c.* Mollius occurrit acriori *Rokyczanae*, ejusque argumenta pro usu Calicis refellit. Hanc quoque Epistolam inter editas non reperio. IV. *Rokyczanae* ad *Capistranum* data Sabato Prage ante exaltacionem sante crucis Anno &c. LI°. Initium: *Fama discurrente frequenter audiuiimus &c.* Incipit ab his Literis totum Commerciū nostrorum duorum Pugilum et quasi classicum canitur. Recitat eas *Amand. Hermann* in *Capistrano triumph.* p. 345. praemittit tamen alias absque nota temporis, quae fortassis anteriores videri possint. V. *Capistrani* ad has Literas Responsum, quod exhibuimus Cod. CLXXXII. initio: *Tuas honestas, quales alii &c.* quo, si lubet, te refer, adhibito simul Cod. DCCCCLXVIII. cuius ope, simulque *Cochlaei*, *Waddingi* et *Hermannii* citt. totius hujus Commercii Epistolici seriem chronologicam non aegre quis instruat.

X. fol. 181. p. 2. *Responso domini nostri sanctissimi domini pīj ad oratores bohemorum.* Incipit: *Superioribus diebus cum audiuisse-mus &c.* et Cod. DCCCI. relata est, quem confer.

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

XI. fol. 186. M. *Hieronymi Physici Erfordiensis* horrendum Vaticinium e conjunctione omnium planetarum cum Sole in cauda Draconis mense Septembris a. 1472. cum prece, ut significantur haec omnibus; ejusdem enim sententiae esse *physicos Arabie, Erfordie, Hyspanie*; reliqui absenti sunt.

XII. fol. 187. *Accepta ex libro veni mecum in tribulacione.* Quem compilauit frater *Johannes de rubefixa*. Lege *Rupe scissa* five *Roquetaillade*. Fuit is O. M. Provinciae *Aquitaniae* circa medium Sec. XIV. ob vaticinia voce scriptisque didita a *Clemente VI.* et *Innocentio VI.* datus in custodiā, de quo multa suggerunt *Baelius* in *Lex.* et *Fabri-cius Bibl. med. Lat.* L. IX. Libellus, e quo nostra Excerpta, editus est ab *Edm. Brown* in Append. seu T. II. ad *Fascic. Rer. expetend. et fugiend.* qui vulgo *Ort. Gratio.* tribuitur, Lond. 1690. f. Excerpta XXI. Intellectionibus constant.

XIII. fol. 189. p. 2. Epistola illa *Luciferi* ad Clerum saepius relata, quae incipit: *Lucifer princeps tenebrarum trifstia (trifstia) profundi regens acherontis imperia &c.*

XIV. fol. 191. Epistola data ad Episcopum *Ratisbonensem* ex ipsa hac urbe XI Junij Anno Domini 1466. itaque ad *Henricum de Absberg* de nova quadam Secta, hujus tenoris: *Delati sunt nobis duo fratres de Wyenswerig*

B b

(Weins-

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4764

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1591

## C O D I C E S

1592

(Weinsberg?) *vñus Johannes alius leuinus appellatur moram trahentes zum Hoflein prope egram in dyoceſi P. V. tanquam ſeminatores cuiusdam noue ac ſtultiſſime ſecte que ad exterminacionem tocius ſtatus eccleſiaſtici exceptis quatuor ordinibus mendicancium tendit.* *Tenent enim cum compli- cibus ſuis quorum hinc inde numerus eſſe dicitur, quod natus fit de muliere amicta ſole, de qua in Apocal. dicitur, filius qui fit et dicatur vñelus ſaluator qui tercium et finale teſtamentum introducere debeat, qui fit ille paſtor, de quo in ewangelio chriſtus dixit, erit vñus paſtor et vnum ouile, per quem omnes credentes in eum debeant illuminari ſpirituali et interiori luce ad cognoscendam ſanctam trinitatem ſicuti in ſe eſt.* *Et quod papa fit anticchristus et omnes prelati &c.* *Eſſe ex iis, qui ſe dicat Johannem de Oriente tanquam Praecurſorem, componi et ſpargi ab eis libros, in confeſſione putare ſibi licitum men- tiri, ideo diſſiculter detegi, &c.* Subjuncti ſunt Epistolae Articuli non minus deliri, quorum pri- muſ: *Quod tercia persona ſpiri- tus ſancti non fit ſecundum eſſe, ſed ſecundum dici.*

XV. fol. 193. p. 2. *Eiftoldi de melodia dicti Aſtronomi de col- legio pariſienſi Vaticinum: quod in anno gracie videlicet 1469. in die mensis Januarij incipiet mundi euacuacio cleri deciſio christianita- tis deſoſicio potentum ſcilicet Imperatorum et regum expiatio et quae ſunt ejusmodi infana.*

XVI. fol. 194. *Sententia Ex- communicationis lata in Georgium ſeu Girschicum de Podiebrad Re- gem Bohemiae autoritate Pauli II. Pont. per Rudolphum Ep. Lauantinum ejus ad almanie et regni bohemie partes legatum.* Ter- rificis formulis ſcatens incipit: *Cum notorium fit adeo ut nulla tergiuersacione celari poſſit dictum Georium ſiue Girschicum de emen- dacione ſua uel reditu ad gremium ſancte matris ecclie nuſquam ſed de ſupplantacione fidelium conti- nuo cogitare &c.* *Et tamen Coch- laeus Hift. Hussit. L. XII. ma- gnam Regis moderationem erga Romanae Sedi addic- tos praedi- cat, additque eum extremo morbo laborante in per affines ſuos Duces Saxoniae Romae egiffe, ut Dirae reſcinderentur, quas ei jam Pius II. ſi Andr. Vi- dorello in addit. ad Ciaconium fides, me- ditatus fuerat.*

XVII. fol. 195. p. 2. *Ritus imponendi Crucem Proficiſcenti- bus.* *Initium: Si quis proficiſci deſiderat, crux ita imponitur. Pri- mo benedicitur per hunc modum.* Itaque Preces, uti dein in ipſa Impositione.

CCCCXVIII.

*Codex chartaceus lat. boh. 937*  
Sec. XV. Folior. 248. 4. a di- verſis manibus, partim per duas columnas conſcriptus amplam continent Farraginem, quae hic percenſetur: I. *Epifola Andree doctoris Brode miſſa Magiſtro Johanni Hus inſulſa et falſa.* Ita viſum